

## DEBITOR, DEBITUM.

Vide verb. RESTITUTIO, SOLUTIO.

## DEBITUM CONJUGALE.

Vide verb. MATRIMONIUM quoad debitum conjugale.

## DECANATUS SACRI COLLEGII.

Vide verb. CARDINALES, art. 2, a num. 19 ad 20.

## DECANUS.

ARTICULUS UNICUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

## SUMMARIUM.

1. ad 18. Decani nomine quid veniat apud Justinianum. — 19. ad 21. Decani in Christianis Ecclesiis. — 22. ad 24. Apud Monachos. — 25. In Cathedralibus Ecclesiis. — 26. ad 31. Eorum officia. — 32. ad 34. Et jura. — 35. ad 58. Decanorum electio. — 59. ad 57. Decani rurales. — 58. 59. Sacrae Rotae Decanus. — 60. De aliis Decanis.

(1. Inter Ministerianos Romani quoque antiquitus suos cognoverunt Decanos. Hinc tum in Theodosiano tum in Justiniano Codice de Decanis titulus inscribitur. Quodnam tamen exercerent munus, non satis liquet, omnesque inter se super hoc dissentiant juris Interpretes, et Historici. (2. Cujacius eos humandis corporibus addictos putat ex Novell. 59. quem sequitur Burg. in lib. elector. cap. 14. Si tamen quod sentio licet candide proponere, aliud ex dicta Novella colligendum opinor. (3. Omisso enim examine super illis verbis relatis in d. Novella cap. 5. *Qui lecto ministrant Decani*, quæ aliud Decanorum officium videntur indicare: omisso pariter quod nomen Decani numquam humantes mortuorum corpora apud Latinos scriptores significet, (4. cum proprio appellarentur nomine aut *Copiatæ* ut in Cod. Theod. leg. 1. de lustral. collat. et leg. 15. de Episcop. aut *Vespilliones*, ut apud Martial. ep. 87. Sueton. in Domit. cap. 17. (5. omisso quod *Libitinarii* appellabantur, qui funerum gerebant curam. *Duaren. de instit. action.* cap. 2, tom. 3, pag. 449. coll. 2, in princ. his, inquam, omissis, non satis compertum est cur ultimum humandorum corporum Decanis tribuatur ex dicta Novell. officium, dum in eadem ante etiam Clericos, et Canonicos nominantur: (6. « Distributio fiat et Decanis, et Asceteriis, et Canonicis, et Acolythiis; » iisdemque majus quam reliquis decernitur stipendium: (7. « Decanis quidem per singulos menses centum octoginta duos solidos, Asceteriis autem nonaginta duos solidos, et Acolythiis nonaginta unum solidos, et Canonicis triginta et quinque solidos, » cap. 2. in fin. (8. Asceteriæ porro vocabantur Moniales illæ quæ in funeribus psallebant. Vicat. Vocabul. jur. verb. *Asceterium*. Idemque munus exercebant Acolythi et Canonici. Dum itaque Justinianus in istorum numero primos recenset Decanos, verosimilius videtur, eos non humandis corporibus, sed parandis peragendisque defunctorum exequiis fuisse destinatos. Hinc in relata Novell. legitur

dralibus Ecclesiis. — 26. ad 31. Eorum officia. — 32. ad 34. Et jura. — 35. ad 58. Decanorum electio. — 59. ad 57. Decani rurales. — 58. 59. Sacrae Rotae Decanus. — 60. De aliis Decanis.

cap. 2. (9. « Quod hactenus datum est laborantibus circa funerum exequias deinceps detur, etc., Decanis, Acolythiis, » etc. (10. Eoque rectius quia hoc Collegium a Justiniano institutum non fuit, sed longe antea in usu erat, ut ex Cod. Theod. de Decanis. (11. Super his alii alia docent. Pancirol. in not. Imper. cap. 90. hos putat fuisse Cubicularios, qui Principis personam curabant. Apud Marcellinum lib. 14. (12. Ministri vocantur Tori, nec ideo inverosimile est ipsos eosdem fuisse, quos Cubiculariorum Decuriones appellat Sueton. in Domit. c. 17. (13. De quibusdam Decanis ex Palatio missis meminit etiam D. Ambrosius lib. 5. p. 33.

(14. Decanus autem nuncupabatur ille qui decem præerat viris. Veget. 1. 2. cap. 7. ideoque arbitror, nomen Decani, et Decurionis idem fuisse, ex eoque originem duxisse, quod decem præessent viris, quemadmodum Centuriones a centum viris, quibus præerant, nomen habuerunt. (15. Varr. de ling. lat. lib. 4. (16. Cum vero Decani numero plures essent hinc Decanorum corpus conficiebant, de quo lib. unic. Cod. Theod. de Decan. (17. Ex eorum Collegio quatuor creabantur Primicerii biennales, quo tempore elapso ad illud non revertebantur officium, sed sequentibus in ordine Secundoceriis, Tertioceriis, Quartoceriis locum relinquebant leg. 1. Cod. de Decan. ibique Brunem. (18. Ipsi a decem viris eorum auctoritati commissis exposcebant obsequium, in Decanos vero Officiorum Comites, vel Magistri jurisdictionem exercebant.

(19. Horum exemplo, ni fallor, in Christianis Ecclesiis Decani constituti sunt, quod etiam de aliis Ethnicorum consuetudinibus ad Christianorum mores accommodatis factum apparet. (20. Isti dum Populus publicam in die Cinerum susceperat poenitentiam Clericos præcedebant, eundemque populum in Ecclesiam introducebant In die vero Paschatis eosdem similiter Ecclesiæ liminibus representabant. Cap. in capite distinct. 50. et cap. 7. de Offic. Archidiacon.

§ 6. (21. Eodem pariter retento nomine, introductus fuit Primicerius, qui caput erat Acolythorum, Lectorum, et Psalmistarum Cap. *Perlectis* § *Ad Primicerium* 13. distinct. 25.

(22. Monachi adhibuerunt primi Decanos, quorum plerumque numerus pro Monachorum numero insignis erat, cum ad veterum Decanorum similitudinem decem tantum Monachis præessent, ut ita exactior esset in eosdem cura. (23. Post Abbatem, et Præpositum primum obtinebant locum Van. Espen. Jur. Eccles. part. 1. tit. 11. cap. 2. § 1. Thomassin. de veter. et nov. Eccles. Discipl. lib. 3. c. 66. § 8. (24. Dum ob Monachorum numerum in eodem Monasterio plures erant Decani, eorum senior, absente Abbate et Præposito, primum dignitatis gradum consequabatur, ipsorumque universam gerebat curam.

(25. Non multo post in Ecclesiis etiam Cathedralibus Decanorum dignitas inter Monachos Monastico adhuc more viventes introducta fuit, qui primo Præpositis inferiores erant, sed tractu temporis in plerisque Capitulis cum Præpositi, omnia quasi omnino rerum spiritualium cura, rebus tantum temporalibus incurrerent, hinc Decani Sacrorum, et disciplinæ Ecclesiasticæ in choro præsertim curam soli exercere cœperunt. Schmidt Thesaur. jur. Eccles. dissert. 4. § 19. eorumque vigilantia in accurata a Canonicis exigenda Ecclesiasticæ disciplinæ observantia adeo processit (si fides habenda est Anton. Matthæi de nobil. lib. 2. cap. 40.) ut interdum delinquentes fustibus quoque cædi mandarent.

(26. Quidquid tamen sit, in dubium verti nequit, quin animarum cura de jure communi illis fuerit commissa cap. 7. § 2 de Election. et Elect. potest. De jure vero speciali, et consuetudinario tantum in nonnullis regionibus consecuti sunt auctoritatem, ut in multis actibus Episcopalem quasi adæquant jurisdictionem. (27. In Ecclesiis quippe Gallicanis, Decanum ex consuetudine habere jurisdictionem in Capitulum, et in magnam partem Cleri, testatur Van Espen. Jur. Eccles. 1. 1. tit. 11. cap. 2. num. 6.

(28. Idem refert de plerisque Hispaniæ Capitulis Fagnan. in cap. *Irrefragabili* 13. § *Excessus de offic. Judic. ordin.* num. 21. (29. Ita et causas in prima instantia cognoscunt, licet hac de jure communi sint jurisdictioni destituti, Van-Espen. jur. Eccles. part. 1. tit. 4. cap. 5. (30. Quas tamen hoc non obstante privilegio definire nequeant controversias statuit Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. de reform. (31. Cæterum particularia proprii Capituli negotia gerunt, uti speciale Canonicorum caput illos convocat, directorium habent, eorum vota exquirunt cum iisdem deliberant, et inde decretum signant, quin hodie in plerisque saltem Capitulis, Præpositus nisi vocatus interveniat Schmidt. d. Thesaur. Jur. Eccles. dissert. 8. § 11. in not. Thomassin. loc. cit.

(32. In Ecclesiis Trevirensibus Parochi infra annum a die electionis juramentum

Decanis præstare debent, ipsis obedientiam polliceri, et alia quamplurima tum a Parochis tum a Clericis, sive Beneficiatis sive non, sive Regularibus, sive Sæcularibus solent præstari. (33. Parochiales Ecclesias Decani quotannis visitant, quod privilegium, ubi consuetudo legitime introducta vigeat, confirmavit Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform. Quæ in universa pene Germania observatur consuetudo, et alia plura videnda apud Schmidt. d. Thesaur. jur. Eccles. dissert. 8. a § 7. ad fin. (34. His autem seclusis peculiaribus cujuscumque Capituli statutis, licet primum obtineant gradum in Capitulo, non tamen in suffragiis ferendis, uti et in reliquis jura habent majora, quam cæteri Canonici, ut de Capituli Osmaburgensis Decano definiit Sacra Rota coram Crispo dec. 301. n. 21.

(35. Decanorum electio de jure communi ad Episcopum, et Archidiaconum pertinet cap. 7. de offic. Archidiacon. (36. De jure vero particulari, et consuetudinario ad Capitulares Pastores, præsertim et confirmante Archidiacono, vel ad Canonicos simul congregatos, confirmante Episcopo spectat. Thomassin. de veter. et nov. Eccles. discipl. lib. 3. c. 66. § 15. (37. Promoveri autem ad hanc dignitatem non potest nisi qui ejusdem Ecclesiæ Canonicus sit, et in Presbyterum ordinatus cap. 1. distinct. 60. « Nullus Episcopus in Ecclesia sua nec Archipresbyterum, aut Decanum, nisi Presbyteri sint, ordinare præsumat, » et cap. 2. distinct. eadem.

(38. Sed cum non in omnibus Capitulis, et Collegiatis idem eligendi modus, eademque in Decanis confirmandis adhibeantur solemnitates, de quibus Schmidt. loc. cit. in not. ad § 23. et Vicat. Vocabular. jur. in verb. *Decanus*, non eandem exerceant jurisdictionem, non denique idem dignitatis gradus reputetur, ideo inspicienda in primis sunt peculiare cujuscumque Capituli constitutiones, et consuetudines legitime introductæ, deinde consulendi erudite non minus, quam accurate de Decanis agentes Van-Espen. Thomassin. Pancirol. Schmidt. loc. super citat. Willemberg. dissert. de Decan. Barbos. jur. Eccl. lib. 1. cap. 21. et cap. 28.

(39. Hactenus dicta tum urbanos, tum rurales respiciunt Decanos de quibus omitterendum non est, quoddam ruralium adhuc Decanorum in Italia superesse vestigium. Adeo in dies Fidelium numerus augebatur, ut propter locorum distantiam cum non ita facile Parochiales Ecclesias adire possent et Ecclesiasticis interesse officiis, (40. hinc Alexander III. alias erigimandaverit Ecclesias, et dotari ex redditibus Ecclesiarum actu existentium, a quibus ideo recentiores Ecclesiæ, (41. tum quoad electionem Parochi, quæ ad Matricis Ecclesiæ Rectorem pertinebat, tum quoad alia nonnulla obsequia dependebant c. 3. de Eccles. edific. (42. Tunc, ut opinor, veterum Ecclesiarum Rectores a recentioribus cœperunt distingui, illis dato nomine Plebanorum, vel Archipresbyterorum, prout hodie vocantur, his vero simpliciter Parochorum. Quamquam



hæc antiquior denominatio videtur. Legitur enim c. 64. distinct. 50. « Ibi adesse debent Decani, id est Presbyteri Parochiarum, » ex quibus verbis colligi potest usque tunc hanc in Ecclesia dignitatem locum habuisse. (43. Lapsu temporis auctoritatem, qua Matricis Ecclesiæ Rectores in simplices Parochos pollebant, paulatim amiserunt, nec aliud nunc retinent, quam jus quoddam præeminentiæ, et jus baptizandi inferioribus Parochis ut plurimum non concessum.

(44. Non ita tamen Murator. *sopra l'antichità Italiane* tom. 1. diss. 10. Hic vir cæteris quin doctissimus antiquiori ævo, eos fuisse arbitratu Decanos, quibus Ecclesiarum baptizandi jure destitutarum regimen erat commissum, subditosque fuisse Centenariis, seu Centurionibus. (45. Cum enim anno 595. a Clotario II. Francorum Rege, ut ipse refert, cujuscumque Civitatis Agrum in Centenas, seu Centurias, et Decurias, seu Decanias fuerit divisum, inde colligit laudatus Auctor, Decuriones, seu Decanos decem familiis, Centenarios vero seu Centuriones centum familiis præfuisse, ideoque illos inferiores, hos vero digniores Ecclesias obtinuisse. (46. Sed tanti Auctoris pace dicam, in toto Canonici juris corpore hujus divisionis vestigium non reperio, ideoque non satis probata ejus mihi videtur opinio. Primo constat, ab anno usque 438. quo evulgatus fuit Codex. Theod. Jac. Goth. Proleg. Cod. Theod. cap. 1. 2. 3. Struv. *Histor. jur. Roman.* cap. 2. § 12. (47. hos Centenarios, qui Plebis sibi usurpabant distributionem, fuisse Imperatorum auctoritate sublato leg. *Sacerdotes* 20. Cod. Theodos. de Pagan. in fin. « Chiliarcas insuper, et Centenarios vel qui sibi plebis distributionem usurpare dicuntur, censuimus removendos, ita ut capitalem sententiam non evadat qui, » etc. Ex his sequitur ante Clotarium Centenarios quidem fuisse, sed a Theodosio sublato, quin appareant deinde in primævam dignitatem saltem in Ecclesia restituti.

(48. Profecto in citato cap. 64. distinct. 50. recensentur variae Ecclesiasticæ dignitates, quæ animarum Curam habentibus conferebantur, nec centenariorum fit mentio, sed expresse traditur Decanos fuisse Archipresbyteros Parochiarum: « Decani, id est Archipresbyteri Parochiarum; » et tamen hæc constitutio paulo anterior est Clotarii temporibus, cum desumpta fuerit ex concilio Agathensi habito anno 506. sub Pontificatu S. Symmachi. (49. Anno 904. Joannes Papa IX. in Synodo Ravennate mandavit, ut « sicut Episcopus Matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsent Plebibus, cap. 4. de *Offic. Archipresbyt.* » (50. Nullum pariter centenariorum verbum legitur apud Alexan-

drum III. qui anno 1170. novam Ecclesiarum erectionem demandavit, in quarum caput constituiebantur Rectores veterum Ecclesiarum: « Providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur. » cap. 3. de *Eccles. edific. et reparand.* Sed si a Clotarii usque temporibus honores, et obsequia ab inferioribus Parochis Ecclesiæ matrici debebantur, quomodo poterant deinde iterum concedi? Anno tandem 1198, (51. Innocentius III. nonnullis Ecclesiasticis dignitatibus jurisdictionem præfiniens expresse docet Archipresbyteris a pluribus fuisse Decani nomen tributum « Archipresbyteri autem, qui a pluribus Decani nuncupantur, » cap. 3. de *Offic. Archidiacon.* sive igitur anteriora, sive posteriora Clotario inspiciamus tempora, manifestum est Archipresbyteros et Plebanos recentes veterum Decanorum loco habendos esse. Altaserra *Ecclesiast. Jurisdic.* lib. 8. cap. 18. per tot.

(52. Rectius fortasse cum Duareno de Sacros. Eccles. Minist. et Benefic. lib. 1. cap. 9. in fin. tom. 4. dixisset Archipresbyteros, et Plebanos Chorepiscopos fuisse subrogatos, quorum propterea munere tunc fungebantur. (53. Chorepiscopi enim ita dicti a græco vocabulo *choros*, quod vicum vel pagum latine significat, ab Episcopis urbanis certis vicis, et pagis præficebantur, et Episcopalis jurisdictionis in nonnullis actibus participes erant. Duaren. loc. cit. (54. De his meminit Leo Papa I, ab anno usque 440, in cap. 4. distinct. 68, ubi recensentur ea quæ ad eorum jurisdictionem non pertinebant. (55. Sed cum paulatim omnia Episcopalia jura sibi metipsis arrogare contenderent, hinc anno 794. (56. Leone III, Pontifice, et Carolo Magno Imperatore ejecti a Gallia fuerunt. Fleury, part. 1. instit. c. 18, n. 5. (57. Sæculo vero XI. Damaso Papa II, cum Chorepiscoporum arrogantia ferri amplius non posset, eorum munus fuit undique sublato et antiquatum. Cap. 4 et 5, distinct. 68, Gagliard. *Instit. Canonic.* lib. 1. tit. 24, § 24.

(58. Sacre Rotæ Tribunal suum quoque habet Decanum, qui Collegii caput est, et jurisdictionalibus nonnullis actibus distinguitur. (59. Is in locum deficientis Auditoris alium Auditorem subrogare potest. Rot. cor. Cels. decis. 221, n. 1, et in æquali suffragiorum numero ea pars prævalet, pro qua ipse suum tulit suffragium. Rot. in recent. part. 18, dec. 81, n. 20. (60. Longum esset si de omnibus Prælatorum Collegiis quibus præficiuntur Decani, sermo habendus esset, sed cum hujusmodi Decani honoris potius, quam jurisdictionis primatu perfruantur, ideo non est cur diutius super illis disserendo immoremur.

#### DECIMÆ.

##### SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea quæ concernunt Decimarum esse, divisionem et obligationem.

1. Decimæ quid sint. — 2. Decimæ ortum habent ex veteri Testamento. — 3. Adducuntur congruen-

tiæ decimarum, usque ad num. 5. — 6. Quare decima pars potius, quam vigesima, vel alia quota electa fuerit a Domino. — 7. Decimæ dividuntur in Prædiales, seu Reales, et in Personales, et quæ sint utraque? ad n. 8. — 9. Omittitur hic tertium genus decimarum, quas varii admittunt, et vocant *decimas*

*mistas.* — 10. Decimæ aliæ sunt profanæ, et aliæ Ecclesiasticæ, et quæ sint utraque? ad n. 12. — 13. Decimæ duplici modo considerari possunt. Primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; Secundo modo formaliter, et secundum certam ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, non octavam vel duodecimam. — 14. Decimæ primo modo consideratæ sunt debitæ Ministris Ecclesiæ jure naturali divino, et humano, ad n. 17. — 18. Decimæ primo modo consideratæ prout præcise continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sunt eis solvendæ, etiamsi aliunde habeant, unde vivant. — 19. Secus autem est dicendum, si Ministri Ecclesiæ sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus Ecclesiasticis. — 20. Decimæ secundo modo consideratæ, id est formaliter, et secundum certam, ac determinatam partem, seu quotam fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam, licet in veteri Testamento fuerint debitæ ex jure divino positivo, tamen tempore novi Testamenti debentur Ministris Ecclesiæ solum ex jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, ad n. 25. — 26. Adducuntur pro instantia novi Canonis, et solvuntur, ad n. 28. — 29. Decimæ defraudans, vel non solvens peccat dupliciter, scilicet, et contra virtutem Religionis, et contra virtutem Justitiæ, ad n. 30. — 31. Immo ex Tridentino defraudantes, et non solventes, aut impediens solvere, possunt et debent excommunicari, ad n. 32. — 33. 35. Decimarum origo. — 36. 37. Decimæ primum non ut præceptum impositæ — 38. 41. Quo tempore lata lex sit de solvendis decimis — 42. 46. Decimæ debitæ sunt de jure divino. ad 51.

#### ARTICULUS II. — Decimæ quibus, et a quibus sint solvendæ?

1. Decimæ antiquitus solvebantur loci Episcopo ad hoc ut ille easdem Clericis Ecclesiæ Ministris, juxta cuiusvis meritum, et exigentiam in sua Diocesi fideliter distribueret. — 2. Postquam autem facta est Parochiarum, et bonorum Ecclesiasticorum divisio, Decimæ de Jure communi solvendæ sunt Parochis. — 3. Decimæ prædiales de Jure communi solvendæ sunt Parocho loci non solum a Parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris et prædiis, quæ intra limites talis Parochiæ existunt; nisi contraria sit legitima consuetudo, ad n. 4. — 5. Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ dimidia parte anni morantur, et pascuntur intra limites Ecclesiæ prædialis, et altera dimidia parte anni intra limites Ecclesiæ Parochialis, debent solvi pro medietate utrique Parocho. — 6. Sic etiam sunt dividendæ pro medietate inter duas Parochias Decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ in una jacent, et dormiant, et in alia pascuntur. — 7. Quando oves, et alia animalia, nec morantur, nec pascuntur per ullam anni partem in Parochia Domini sui, sed in aliis, nulla pars Decimarum debetur Ecclesiæ Parochiali Domini, sed illi, ubi morantur et pascuntur. — 8. Decimæ ex ovibus, aliisque animalibus non sunt solvendæ Parochis illarum Regionum, per quas pascendo transitum faciunt, et redeunt in domicilium. — 9. Decimæ personales de Jure communi solvendæ sunt Parocho illius Ecclesiæ, ubi percipit Sacramenta, et audit Divina, etiamsi alibi lucrum v. gr. in negotiatione reportet. — 10. Tali proprio Parocho debentur decimæ personales, etiamsi Parochianus causa comitandi Regem, vel recreandi animum, vel agendi aliqua negotia, vel fugiendi pestem, vel causa belli, et hujusmodi extra illam Parochiam resideat, absque tamen animo transferendi domicilium in perpetuum. — 11. Decimæ personales non debentur primæ Parochiali, si quis mutaverit domicilium, sed secundæ, in qua recipit Sacramenta, et audit Divina. — 12. Decimæ personales sunt dividendæ inter plures Ec-

clesias pro rata temporis, quo Parochiani in eis audiunt Divina, et recipiunt Sacramenta. — 13. Si quis artifex habeat domicilium in confinio duarum Parochiarum, tenetur decimas persolvere illi Parochiæ, ubi est pars domicilii, in qua semper laborat; Et si dubitetur de qua Parochia domicilium sit, tunc inspicienda est janua, seu porta illius principalis. — 14. Si quis perceperit Sacramentum Baptismi in Ecclesia Matrice, et reliqua Sacramenta in Parochiali, decimæ personales partim debentur Ecclesiæ Baptismali ratione Baptismi, partim Parochiali propter reliqua Sacramenta. — 15. Alii autem Auctores volunt, et satis probabiliter, decimas personales deberi solum Parochiali in qua audiuntur Divina, et percipiuntur reliqua Sacramenta, non autem Baptismali, si ibi Divina non audiuntur. — 16. Unde circa hoc attendenda est consuetudo. — 17. Quando Parochia aliqua dismembratur, et erigitur nova Parochia, decimæ prædiales ad Parochiam Matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaverit, ad n. 22. — 23. Decimæ vero personales transeunt ipso jure in Parochiam noviter erectam etiam ante ullam Episcopi assignationem, ad n. 24. — 25. Decimæ variis in casibus debentur integræ soli Episcopo. Primo quando prædia quedam intra Diocesim suam sita, nulli certæ Parochiæ sunt assignata, tunc decimæ ex iis debentur Episcopo. — 26. Secundo quando adhuc reperiatur aliqua Diocesis, in qua, nondum sit facta divisio, vel distinctio Parochiarum, tunc decimæ soli Episcopo debentur, non quidem ut sibi soli eas reservet; sed ut eas fideliter, et juste distribuat aliis Ecclesiasticis Ministris in curam animarum cooperatoribus. — 27. Tertio quando Episcopus est etiam immediatus Parochus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia. — 28. Quarto quando, et ubi non obstat legitima consuetudo in contrarium; debetur Episcopo *Quarta* de singulis decimis. — 29. Decimæ etiam Canonicis Cathedralium, vel Collegiarum ac aliis Clericis simplicia Beneficia habentibus sunt de Jure communi solvendæ secundum eam portionem, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficiis legitima auctoritate Ecclesiastica est assignata. Sicuti, et quando eorum Beneficia ex decimis legitime sunt fundata. — 30. Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio in spiritualibus populo ministrant, etiamsi ipsi sint divites. — 31. Sic etiam decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, licet sint male vitæ. — 32. Omnes fideles Parochiani, nisi aliquo speciali titulo, seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 33. Etiam Hæretici tenentur solvere decimas, tum prædiales, tum personales. — 34. Etiam Judæi, et infideles tenentur solvere decimas prædiales ex fundis et prædiis, quæ decimis erant obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent. — 35. Non tenentur tamen Judæi, et infideles solvere decimas personales. — 36. Clerici simplices, et non Curati tenentur solvere decimas, cum prædiales, tum personales de lucris, bonis et fructibus sæculari jure acquisitis. — 37. Non tenentur tamen isti Clerici simplices, seu non Curati solvere decimas de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio titulo Clericali acquisitis, exceptis prædiis, agris et aliis fundis, ex quibus antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant, ad n. 38. — 39. Clericis Curatis quacumque dignitate præditi, ut Episcopi, Abbates, Archipresbyteri, ac omnes alii Parochi quocumque nomine nuncupati, tenentur solvere decimas prædiales de fructibus bonorum titulo temporali, seu sæculari acquisitorum. — 40. Tales Clerici Curati tenentur solvere decimas prædiales ex prædiis, fundis et agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus in alt-